

R.K.  
434  
10

(X188 3897)

Π n  
1444

GERMANUS  
BELLATOR  
SIVE  
DE  
RE MILITARI  
PRISCORUM GERMANORUM

AD  
DUCTUM C. CORN. TACITI  
DESCRIBTUS  
ET  
IN PUBLICUM PROSCENIUM ILLUSTRIS  
ACADEMIAE LIPSIENSIS PRID. EID,  
APRILIS

PRODUCTUS  
A  
MICHAELE HENRICO Hagelgans /  
COBURGENSI,

\*\*\*\*\*  
LIPSIÆ,

Literis CHRISTIANI FICKII.  
1671.



J





SERENISSIMO. CELSISSIMO Q.  
PRINCIPI.

<sup>A C.</sup>  
DOMINO. DOMINO.  
FRIDERICO. GVILIELMO.  
D. G.

EIUS. NOMINIS. TERTIO.  
SAXONIÆ. JULIACI. CLIVIÆ. ET. MONTANIÆ.  
DUCI. COMITI. PROVINCIALI. THURINGIÆ. COMITI.  
LIMITANEO. MISNIÆ. PRINCIPI. COMITI.  
HENNEBERGICO. COMITI. MARCANO. ET.  
RAVENSBERGENSI. DYNASTÆ.  
RAVENSTEINIO.

PIO. MAGNANIMO. CLEMENTI.  
EXEMPLE. PRINCIPUM. NATO.

BELLATOREM. HUNC. GERMANUM,

D. . . . . D. . . . . D. . . . .  
PERENNITATI. IPSIUS. DOMUSQ. EIUS.

SOLIDE. DEVOTUS.

MICHAEL HENRICUS Hagelgans /  
COBURGENSIS.





Q. D. B. V.

**Q**uamprimùm, PATRES CONSCRIPTI, ad humanioris Literaturæ studium animum meum adpuli, in id unicè incumbendum mihi existimavi, ut sepositâ aliquantis per nostrorû temporum notitiâ, rerum, quæ in ultimò antiquitatis recessu æstimandæ videbantur, indagationi me, impenderem. Enimverò hac persuasione semper occupata mens fuit mea, neminem de conditione suorum temporum rectiùs judicare, quàm qui ad præteritorum memoriam subinde se convertit. Magna pars vitæ & studiorum impendenda est illis, qui jam dudum vixere, ut meliùs hîc vivamus. Fit hoc beneficio mutorum rerum magistrorum, quos fidelissimos consiliarios adpellabat Eximius Arragonum Rex, Alphonsus. Fit hoc per tot præstantissima prisorum veterum monumenta, per quæ ibi sumus, ubi non sumus, præsentiam spectamus, quæ ante nos periere, cum iis vivimus, post quos nati sumus. Hæc est illa cœlestis animorum peregrinatio, per quam fit, ut omnium terrarum, locorum, temporum simus veterani. Immo, sic quemvis locum videmus, & nostrum non mutamus. Quæ vel oppressit mare, vel absorpsit terra motus, vel incendia ignium extinxere, vel Bellonæ vastavit impetus, tanquam adhuc essent, tanquam in iis nati atque educati etiamnum contemplamur: Domini gentium, quas nunquam

B

sub-



subjugavimus: Domini seculorum, quæ jam dudum efflu-  
xere. Quid creditis, AUDITORES, Trojam flammis dele-  
tam, collapsos Carthaginiis muros, vixisse Archimeden, & sangvi-  
ne morientis signatos cineres? Stat nobis adhuc Troja, & in  
ea Priamus dominatur. Vivit adhuc Archimedes, & videor  
mihi videre eum Syracusas suos defendentem. Floret ad-  
huc Æmula Imperii Rom. Carthago, & cum principe gentium Popu-  
lo de principatu terrarum contendit. De Historia loquor:  
per quam unam supersunt hæcenus, quotquot fuisse quon-  
dam cognoscim⁹. Non jam Nini, vel Cyri, non Miltiades, vel  
Themistocles forent, nisi Historia eos servasset. Nusquam  
essent Alexandri, vel Pyrrhi; nusquam duo belli fulmina,  
Scipiones; nusquam magna illa nomina, Pompeii, aut Casares;  
nisi Historia eos consecrasset. Non viverent in hominum  
memoriâ Gloriosissimi illi Germanorum Imperatores; Ca-  
roli, Ottones; non Henrici, Friderici; nisi perpetui hoc nomi-  
nis decus ab Historiâ essent consequuti. Periissent etiam  
invieta Saxonæ tonitrua, Wittekindi & Mauriti, aliique  
immortalitate dignissimi Viri, nisi, sicut olim Jupiter, si  
Romanis fides, fugientes novæ Urbis cives; ita Historia  
nobis fugitivi temporis memoriam stitisset. Ut solus sanè  
Historicus dici mereatur, stator Temporis, Perennitatis sacer-  
dos. Neque ignoro, plurimos eandem laudis perpetuita-  
tem sperare è statuis, trophæis, Pyramidibus, -- -- in-  
sanâ mole Colossis, aliisque id genus monumentis. Sed even-  
tus comprobavit, omnia ejusmodi esse fatorum inclemen-  
tiæ casibus obnoxia, ac sæpè brevi admodum temporis  
spatiò dissipari, aut consummi. Quid mirum autem, si quæ  
manuum sunt opera, naturam sequantur corporis, quod  
mortale nobis datum est? Historia verò est animi opus,  
qui



qui morte caret: cujus instar & ipsa Historia, nec Libitinam, nec Orcum eximescit. Hæc igitur una bellicosa quondam Germanorum genti præstitit, ut tot præclara eorum gesta, ubique terrarum monumentum obtineant literarium. Gratulandum hinc non immeritò Majoribus nostris, eos nempe præ omnibus aliis nactos olim inter Romanos, non plebejum hominem, sed Equestris dignitatis Virum, non privatum & obscurum, sed multis illustribus muniis functum, & quod palmarium esse puto, è veteri ac primâ nobilitate principem, unò verbò C. Corn. Tacitum, qui non modò *terrarum nationumque Germanicarum virtutes pariter ac mores earum singulari*(a) libro concelebrare posteritati que ipsi commendare in summâ habuit curâ; verum etiam passim in suis Annalium & Historiarum libris eâ de antiquâ gentis nostræ virtute ac libertate, *quam Arsacis regno semper acriorem fuisse fatetur* (b), adnotare nullus dubitavit, quæ tanquam ossa & sanctorum hominum reliquias nunc exosculamur propè & adoramus. Date veniam, & hanc mihi concedite facultatem, AUDITORES, ut gratâ illorum recordatione animum pascam. Et quandoquidem nostrum quoque habet seculum quod doceat: ad quod nisi referantur vetera, non satis profunt nostra, quia usu atq:

B 2 exer-

(a) *Conscripsit hunc librum sub ipsum Imperii Trajani initium, Nervâ Imperatore recens ex humanis egresso, teste ipso in eodem libro, circa A.C. 100. Cluverius Germ. Antiq. præm. Sanè, quòd nosse datur nobis patriæ, ac Majorum nostrorum vetustatem; id omne uni acceptum feramus necesse est Tacito: quippe hanc ejus descriptionem ni haberemus; in reliquis quoque auctoribus, vix quicquam eorum intelligeremus, quæ vel ante ejus ætatem, vel posterioribus etiam seculis, de gente nostrâ tradita sunt.*  
 (b) *De morib. Germ. cap. XXXVII. (c) Orat. XVI. de mutat.*



exercitatione ea quoq; fieri oportet nova, ut sapienter Belgii quondam sui Decus Heinsius iudicavit (c): ea propter quid pro aureâ Libertate Majores nostri gesserint ad tanti Auctoris ductum dicam, Loquar apertius: Sistam vobis Germanum Strenuum in suâ Libertate Bellatorem, quem Prudentem Consiliarum jam nunc vidistis. Verum enimverò, dum de Illustri hoc argumento me dicturum professus sum, nemo Vestrum me ita confidentem aut temerarium arbitretur, ac si propositum mihi sit, universam Germanorum laudem bellicam, quæ tanta ac propè infinita est, in hanc unam sive horam sive oratiunculam includere: non ita vel mei, vel Majorum, vel modestiæ oblitus sum, AUDITORES: quin ex infinito laudum numero capita modò rerum & fastigia decerpam breviter & delibabo. Quod igitur bonum, faustum, felix fortunatumq; fiet: Oro Vos, Magnifice Academiæ Rector, Utriusq; Reipublicæ Proceres Eminentes, Ceteriq; AUDITORES vestris singuli titulis honorificè adpellandi: Tuq; Nobilissima Studiosorum Corona ad laudem & gloriam Tuorum nata ac educata: Vos, inquam, oro obtestorq; per illam ipsam Gentem, de quâ verba sum facturus, ut me attentè bonâq; cum veniâ audiat.

Quid expectetis AUDITORES, vultis ex ultimâ huc accersam antiquitate inclitam nostræ Gentis virtutem militarem? Sed deserunt me probatorum Scriptorum monumenta, quorum penuria innumeri, quos ardens quondam pro-vexit ad æthera Virtus, cineribus jam insepulti jacent densâ seculorum nocte oppressi (d). Benè Romanæ fidicen Ly-ræ (e):

Vixere

Reipubl. Rom. (d) Plinius Major olim celebritate nominis Germanici adductus XX. libros de Bellis Germanicis scripsit, ut alter Plinius illius Sorore nepos, testis est lib. III. Ep. V. quos nobis



*Vixere fortes ante Agamemnona  
 Multi: Sed omnes illacrymabiles  
 Urgentur, ignotiq, longâ  
 Nocte: carent quia Vate sacro.*

Vultis tot laudibus nostri ævi Scriptoribus decanta-  
 tos huc advocem *Tuiscones, Marsos, Vandalos, Ingevones,*  
*Hermiones, Istævones, Svecos, Marsos, Gambrivios, alios?* ni-  
 hil mihi cum fabulis commercii: nunquam adducar, ut nu-  
 gamentis illis fidem largiar, Berosi sive foetus sint, sive o-  
 tiosi alicujus & Veneri Bacchoque indulgentis monachi.  
 Alios ludant quæis tam amabilem volupe est insanare insa-  
 niam. Possem tamen si vellem rem altiùs non nihil repete-  
 re, atque è bello *Cimbrico*, quando quidem hi (f) primùm ar-  
 ma sua Romanis noscenda dederunt, aliquot augusta inu-  
 sitatæ fortitudinis documenta depromere. Sisterem vobis  
*Ariovistum*, (g) quem libertas patriæ, cum alieno imperio  
 se non pateretur adstringi, in Cæsarem armavit, ut si san-  
 giene eandem tueri non liceret, fortiter tamen occum-  
 beret. In quo bello militem quendam, ajunt, cui gladius,  
 quo in hostem Romanum ferebatur, è manibus exciderat,  
 non priùs, quam caeso hoste, & recepto illo ad suos redi-  
 isse (h). Flagitium quippe ducebat homo ille generosæ  
 mentis hostiumque animosus contemtor, nullò seculorum  
 decursu abolendum, si tutamen corporis à duce accepis-  
 set, id in alienas manus, se vivo, venire pateretur. Produ-

B 3 cerem

*dolor! Parcerum iniqua manus subduxit. Tacit. Lib. I. Annal.*  
*Symmach. Epistolar. lib. IV. Adhibe etiam Cluver. Germ. Antiqu.*  
*Lib. I. proæm. (c) Lib. IV. carm. od. IX. (f) Teste Tacit. prædict.*  
*Lib. de morib. Germ. cap. XXXVII. (g) Cæsar Lib. I. de Bell.*  
*Gall. (h) Mich. Sachs. p. 1. Chron. ex Crus. p. 2 f. 40. (i) Lipsius*

Bel-  
 pro  
 tum  
 in  
 unc  
 nto  
 en-  
 sit,  
 ac  
 cu-  
 de-  
 um  
 iter  
 fiet:  
 Pro-  
 culis  
 lau-  
 oro  
 sum  
 imâ  
 mi-  
 nu-  
 pro-  
 nsâ  
 Ly-  
 xere  
 Ger-  
 alter  
 obis





cerem *bellicosissimos Suevos*, qui Gallis ita terribiles, (i) Romanis ita formidabiles erant; ut quoties isti de transgressu vel adventu Trans-Rhenanæ nationis audirent, ingeminarerent trepidi, *adventare Germanos*. Si quandoque vel scilicet nomen audirent, toti timore quodam exhausti mulierum instar lacrymabantur, discedendi veniam à ducibus suis postulabant, aut si pugnandum tamen esset, in tabernaculis suis abditis primo fatum suum querebantur, tum quia è pugna redeundi nulla spes erat, totis castris testamenta condebant & obsignabant (k). In his & aliis pedem nunc figerem, nisi majora essent, in quibus tantillum temporis absumere magis conducere. Quapropter, AUDITORES, unà velut in tabulâ *priscam Germanorum nostrorum obsecro Vos videte Libertatem, videte Bellicositatem*. Legistis procul dubio, ut C. Julius Cæsar devictus in Galliis *Ariovistus Marcomannorum Rege*, & aliis non nullis Germanorum populis fugatis partim, partim cæsis admirandi operis ponte Rhenum junxerit, *Cattorum* (l) injurias, uti rebatur, ferro ignique ulturus. Verùm legistis & hoc, ut hoste ne quidem visus, nedum debellatus Germaniam reliquerit. Cn. Pompeji verba sunt apud Lucanum (m): *Rheni gelidis quia fugit abundis*: quibus timiditatem & fugam Cæsar's notat. Nihilominus tamen ingentes hac sua expeditione excitavit motus, continuum scilicet bellum, quo in multa secula

*in not. ad Tacit. de morib. Germ. num. 9. Elogium eorum vid. ap. Cæs. Lib. IV. de Bell. Gall. (k) Actum erat de Romanis, nisi Cæsar's virtus obstitisset, qua una factum, ut Ariovistus, qui omnem propè Galliam imperio tenebat, una pugna eodem exciderit. vid. Cæs. Lib. I. de Bell. Gall. (l) Hi populi, Cæsari dicti peculiari vocabulo Suevi, sed falso. vid. Cluver. Germ. Antiqu. lib. III. c. 5. (m) In de bello Pharsalico. (n) testis existat Strabo Lib. VII. (o) Si-*



la protracto, Germani tandem Romanis palmam haut du-  
 biam reddiderunt, sed præripuerunt. *Initium* (n) nō multò  
 pōst belli fecerunt *Sigambri* (o), gens, si verū loqui licet, suo  
*Marte bellicosior*. Consequuta est tunc ingenti Populi Rom.  
 dolore memorabilis & famigerata *Lolliana clades*, quæ i-  
 psū Augustum Urbe Romā extraxit (p). Sed ut desultoria  
 est fortunæ varietas; ita plerumq; bella in ære suo habet,  
 ludit, & ineptit ceu levissima meretricula quantum vult:  
 breve igitur fuit Germanorum gaudium: Missus enim *CL.*  
*Drusus*, primos domuit *Usipetes* (q), inde *Tencheros* (r), per-  
 currit & *Marcomannos* (s), postea tota Germania validissi-  
 mos (t) *Cheruscos*, *Cattos* (u), *Chaucos* (x) pariter ag-  
 gressus

*cambri, iidem & Sigambri, & Sugambri, exponit Cluver, Germ. Antiqu. Lib. III. cap. 9. (p) teste Dione in Lib. LIV. (q) Notandum hic est: à principio quidem Usipetes dictos fuisse, à Cesare, & iis, qui cōmentarios ejus in conscribendâ historiâ sequuti sunt; ab iisdemque Tencheros, Græcâ magis quàm Latinâ scriptione, posteriores verò Usipios dixere, atque Tencheros. Atque hinc est, quod Auctor noster Lib. I. Ann. Usipetas adpellat, sub initium principatus Tiberii; Lib. XIII. Annal. sub Nerone, & item in Lib. de morib. Germ. sub Trajanò, Usipios: quæ equidem vocabuli variatio malè curiosis atque imperitis commentatoribus causam erroris præbuit, uti diversam Usipetarum gentem ab Usipiis statuerent. Vide sis Cluver. Germ. Antiqu. Lib. III. cap. 10. (r) De Tencherorum militiâ, & bellicâ virtute, sub Trajani principatu leg. Tacit, in Lib. de morib. Germ. cap. 33 (s) De virtute Marcomannorum bellicâ, cū innumera apud antiquissimi simul posteriorisq; Seculi auctores exstant exempla; tum hoc maxime præclarum est Romani hominis, Germanorum hostis, elogium de morib. Germ. cap. 42. Præcipua Marcomannorum gloria, viresque: atque ipsa etiam sedes, pulsosolim Bojis, virtute par- ta, Plura vid. Cluv. Germ. Antiqu. Lib. III. cap. 3. (t) Gens ma-*



gressus est, quos Victor magno prælio (y) profligavit & compressit, aliasque vel suâ allectas comitate, vel vi edomitas ad deditonem compulit. Drusum excepit Tiberius, pari Romanorum successu, pari Germanorum clade. Jurâsses fortunam ipsam abnegata Germania sacramentum Romanis dixisse. Stabant omninò in præcipiti res Germanæ; & in pejus quotidie dilabi videbantur, quando quidem omnia in Romanorum potestatem jam concesserant: terra, pagi, vici, homines: omnes aditus ac viæ, fluvii omnes obsessi erant & clausi: nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella Romani direxerant, ut mediam de Germania Italiã facere viderentur. Cuncta protinus

*gna, & Arminio duce maximè inclita. Inter hosce populos atque Catos, perpetuum fuisse bellum, ex Cesare simul ac Tacito intelligendum. Arminius tamen Cheruscorum dux, utriusque gentis animos ita conciliavit, ut aliquandiu junctis viribus Rom. Imperium propulsaverint: quo defuncto, pristinum inter eos repetitum est dissidium: quod auctor noster refert de morib. Germ. c. 36. (u) Sunt enim Catti, & qui nunc mutilato nomine, Hassi appellantur, unus & idem populus, quorum antiquis temporibus caput Mattium, quod Germanicus incendit, Tacit. Lib. I. Ann. cujus nomen etiam nunc in vico, qui ex ruderibus antiquæ urbis relictus, non procul à fluvio Edera, quem Tacit. Adranam d. l. Aimonius verò Lib. IV. c. 72. Ann. de gest. Carol. M. Lib. I. Adernam nominat, vulgò die Eder / Reinoc. ad d. Annal. errante Lipsio in not. ad d. loc. Tacit. qui Mattium existimat Marpurgum fuisse, quod non ad Ederam, sed ad Lanum, Silvis & resquis crutis, nondum quadringentis abhinc annis conditum, Ferr. de Feud. Mattii autem veteris locus non procul ab Adrana, Tacit. d. l. Fidemque antiquitatis non modo nomen in pago retentum, verum etiam prælii cum Romanis ibid. commissi argumentum præbent, inventi ab aratoribus numi & imagines Romanæ. Ut re-*



nus in partibus Romanorum erant, ut nec HERCINIÆ (z) SAL-  
tu impervio & inaccessio in id tempus Germani tuti esse  
possent. Ea erat Germaniæ facies, ut mutati etiam homi-  
nes; alia terra, quam tamen informem, & vel silvis horri-  
dam, vel (a) paludibus fœdam; cœlum ipsum, quod asperum  
cultu ad spectuque triste veteres auctores prodiderant, mi-  
tius molliusque solito Romanis videretur victoribus. Ipsa  
auro contra cara Germanorum libertas cœlo videbatur  
donata, ut nil nisi durum servitutis jugum, cuius depellen-  
di tot labores sustinuerant, illorum cervicibus immineret.  
Erant, proh pudor! in ipsis proceribus, qui durum hoc  
servitutis jugum non detrectabant, cum servire jam didi-  
cissent: unde factum, ut hostis Germanicis insuper viribus  
uteretur contra Germanos. Ad hanc rerum calamitatem

C

Vari

*simè sentit Kirchnerus de Republ. Disput. XIII. (x) Insigne elogi-  
um virtutis & in specie justitiæ Chaucis tribuit noster de morib.  
Germ. cap. 35. Quod quid majus dici possit, ego non video. (y) Flo-  
rus Lib. IV. cap. 12. (z) Omnium silvarum Romanis monumentis  
celebratarum celeberrimus fuit, totam ferè olim Germaniam oc-  
cupans. Clarissimâ famâ, apud vetustissimas quoque Græcorum  
scriptores est: meminerunt quippe hujus, Eratosthenes, teste Ca-  
sare, bell. Gall. VI. & ante Eratosthenem Apollonius Rhodius, in IV.  
Argonaut. & ante hunc etiam Aristoteles, in Mirandis, Plinius  
Lib. IV. cap. 14. nulli inferius nobilitate Hercinium jugum est.  
(a) Tacit. de morib. Germ. cap. II. & IV. Seneca de divin. Provid.  
cap. IV. Adde Melam Lib. III. cap. 3. pluresque alios. At verò lon-  
gè aliam hodiè rerum ibi esse faciem, vel nobis tacentibus ipsa cla-  
mat experientia. Quæ fœda olim terra, quæ horrida, illa urbibus,  
oppidis, arcibus, jam clarissima, & moribus, artibus, religione  
ita excolta est, ut unicè optandum videatur, & cavendum, ne  
tam præclaris DEI Opt. Max. dotibus immodicè & improvidè a-  
bituratur. Conf. Lansius Consult. de princip. in Provin. Europ. orat.*



Vari accedebat libido ac (b) superbia, & illa, illa armis favio-  
 ra Romanorum jura, uti Florus confitetur. Fidem tuam,  
 Tacite, hinc requiro, qui *Arsacis regno acriorem semper Germa-  
 norum libertatem nobis reliquisti. Quid ais, Parthorum regno a-  
 criorem esse libertatem Germanorum?* facile tibi accederem,  
 modò in liquido causa esset: Ubi hic ille libertatis ardor,  
 quem utroque, quod ajunt, pollice in Majoribus nostris  
 commendasti? ubi ista foedissimi jugi detestatio? ubi no-  
 bile animi robur, virtus? ignosce, quaeso, mi Tacite, fa-  
 cies, spero, hujus mihi culpæ gratiam. Vos, AUDITO-  
 RES, ad sereniora paullatim mentes revocate. Ecce infi-  
 nuabo vobis effatum unum ex illorum numero, quæ à Ro-  
 mani eloquii principe *παράδοξα* dicuntur, & nisi pensicula-  
 tius examinentur, fidem vix inveniunt. Sensus hic est:  
*Nunquam, nunquam acrior fuit Germanorum libertas. Quid hæ-  
 retis, quid mussitatis? tantum oro, favete linguis, pauxil-*  
 lum

*pro Germ. p. m. 30. seqq. Mart. Zeillerus Itiner. Germ. part. 1. c. 1.*  
 (b) Libidinem ac superbiam odisse ceperunt. Illam quidem, quia  
 Germani casta gens & severa, ut scribit Tac. de morib. Germ. c. 18,  
 vid. Bernegg. ad Tac. q. XC. & in primis ipsum Tac. Lib. IV. Hist.  
 cap. 24. At quales Romani fuerunt, præter Historicos & Poetas,  
 vel unus Petronius docere queat. Poruitne igitur in tam diversis  
 mensibus pax aut amicitia esse? ut interrogem verbis Sallustii  
 in Jug. cap. 31. De superbia vid. Rupert. Observat. ad Flor.  
 Lib. I. cap. 7. §. 4. Certè liberis hominibus nil gravius accidere pot-  
 est, quàm superbus magistratus, sive ut loquitur Ammianus lib.  
 XXIX. nihil est tam iniquum, quàm ad ardua imperii supercilia  
 etiam acerbiter nature adjungi. Quid? quod servi domino-  
 rum fastidium & arrogantiam egrè ferunt, si credimus, Isocrati  
 ad Dæmonicum? Quamobrem verum superbi faciunt, quod ait  
 Regum sapientissimus, Ruinã præcedere superbiam. Nec quis-  
 quam, ut est apud Menandrum, arrogantia sue pœnam evitat.

lum  
 mih  
 om  
 & f  
 liar  
 tati  
 adh  
 ran  
 qui  
 nus  
 Ro  
 ani  
 an  
 rit  
 fui  
 ab  
 qu  
 co  
 N  
 ero





lum temporis iudicium suspendite, nullus dubito, solem mihi in manibus, ut ait ille, gestanti assensum plerosque omnes præbiturum. Etenim steterat hoc Germanis semper, & stabat etiam tum, indomitâ antè cervice mori, quàm a-liarum gentium exemplò, servitutem tanquam è jucundi-tatis poculo bibere. In tantâ rerum omnium confusione adhuc erant innumeri, qui libertatem, quam non pote-rant ostendere, animo tamen ingenti adhuc spirabant. In quibus erat ARMINIUS, genere nobilissimus, sed ge-nus nobilior animus exornabat, &, ut de illo loquitur Romanus auctor, *ultra barbarum promptus ingenio, ardorem animi vultu oculisq; præ-se-ferens*. Quæ si præter egregias has animi sui dotes educationem quæramus, quæ & qualis e-rit, *proh DEUM immortalẽ!* Non dicam hic solitos nostros fuisse Majores modò recens natum infantulum & maternò ab uterò adhuc calentẽ flumine (c) immergere frigidò, ibi-que simul de naturæ vigore periculum facere, simulque corpus ipsum obfirmare ad futuræ militiæ patientiam (d). Nec commemorabo, quod *antiquitatis nostræ Vindex & Se-cretarius Tacitus memoria (e) prodidit, suam quemque matrem*

C 2

ube-

(c) attestâre Strabone lib. III. Diodor. lib. IV. Aristot. lib. VII. Po-  
litic. cap. ult. his adde Cluver. Germ. Antiqu. Lib. I. cap. 21. ubi ri-  
tum hunc non per saturam, sed viritum, ut sic loquar, explicat.  
(d) Arma tractare à primâ pueritiâ discebant Majores, addocen-  
te Tac. de morib. Germ. cap. XIII. Senecâ de Ira Lib. I. cap. II.  
it. Epist. XXXVI. (e) de morib. Germ. cap. XX. Religiosè illud  
observarunt olim Majores nostri, & ratio omninò suadere vide-  
tur. Mater enim diligentius curabit fœtum quàm nutrix, & im-  
pensiùs amabit uberibus suis nutritum, Gellius Lib. XII. cap. I.  
Accedit, quod per nutrices multi in infantes transplantentur  
morbi: cum enim illi non sint ex substantia nutricum geniti, lac



uberibus aluisse, nec ancillis ac nutricibus delegatum fuisse: quâ in re hodiè, immane est, quantum recessum sit ab antiquis. Hoc tantum agam & non nulla strictim & in transcurso, non quidem ut res postulabat, aut ego cupiebam, sed ut consuetudo loci, & brevitâs temporis permittunt, illustrabo. Ecquæ verò illa? cum apud Majores nostros filii Nobilium adolevissent, plerique Sacerdotum disciplinæ ad perdiscenda divinarum humanarumq; rerum secreta tradebantur. Erant hi rerum, ut inter Germanos, multiforium scientia eminentissimi, & in id potissimum incumbant, ut neglecto mortis metu puerorum animos impavidos redderent & intrepidus. Hâc fini frequentissimè ipsis *de Animæ* (f) *æternitate disputationes*, quas carminibus (g) patrio sermone consignandas ad lyræ fortassis concentum auribus simul ac mentibus adolescentum ingerebant: cor-

pus quoq; eorum substantia accommodatum minimè censetur, Keck. in Synopt. Oecon. cap. 3. Præterea negari nequit, quod facile ex nutricibus infantes haurire temperamentum, & consequenter mores utpote, qui corporis temperamentum sequuntur. Hinc Cæro uxoris uberibus servorum suorum filios adhibuit, ut naturali velut vinculo devincirentur filio suo, Plutarch. in Cat. Et Gracchi ex Corneliæ matris suæ mammis eloquentiam suxisse dicuntur, Guat. Lib. III. de Civil. convers. ubi inquit, infantes à matribus ad nutrices deferre, nihil aliud est quàm natura intemperies. Sic evenit, ut liberi adfectibus & moribus nutricum adscitis ab amore & reverentia matrum abalienentur, nec ullum habeant spiritum, quo ad obedientiã & debitum illis respectum exhibendũ moveantur. Plura hac de materia, si quis scribere audeat, abeat ad Cluv. Germ. Antiqu. Lib. I. cap. 21. (f) De animis mortalium quid statuerint Majores, indicat Strabo, lib. IV. Et Cæsar, lib. VI. Bell. Gall. item Diodorus, Lib. V. Mela, lib. III. cap. 2, Marcellinus, lib. XV. Adde Cluver. Germ. Antiqu. Lib. I. cap. 32. (g) Quicquid



pus suá quidem sponte periturum, animam nihilominus esse, in quam nulla manuum detur injectio: vitam nostram esse, non quæ in hoc spiritu & mole; sed quæ in memoriá posteritatis, in existimatione seculorum omnium ac temporum consistat, quæ ut cœlum illud, unde oriuntur, in se definit; ita in æternitate ipsá determinetur, ad quam nisi spiritus noster adsurgat, obbrutescere eum necesse sit. Alteram habendam esse quasi recens conceptorum hominum statum: mortem verò partum in veram illam, & iis, quæ gloriosè pro patriæ salute occubuerint (h), beatam vitam. O nobile Germanorum institutum! cui adscribi debeat **BONUM FACTUM**. Hujus desiderio vitæ erectæ ac magnæ animæ accendebantur, hanc interdum, hanc in somnis cogitabant, hujus cupidine in prælio exultabant, tanquam gloriosè & feliciter vitâ excessuri: lamentabantur in morbo, quasi turpiter ac inhonestè morituri (i). O felicem magnamque Patriam isthâc disciplinâ! cujus gloria

C 3 ria

*memorie mandare volebant, id carminibus componebant, unde etiam istud Taciti, prædicto libr. de Morib. Germ. cap. II. Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memorie & annalium genus est) Tuitonem Deum, terrâ editum, & filium Mannum, originem gentis conditoresque. Ergo & ipsi Germanorum Sacerdotes ac sapientes omnem suam disciplinam in carminibus sive versibus juvenuti tradiderunt (h). Et Aeneas Lib. I. En. predicat*

*-- -- -- Terq, quaterq, beatos,  
Quæis ante ora Patrum Trojæ sub mœnibus altis  
Contigit oppetere.*

*Solon, qui & unus fuit è septem Græciæ sapientibus, & Solus inter eos Legum conditor, singularem sanxit legem, de laudandis iis, qui in bello pro patria fortiter occubissent, teste Platon. Lib. V. de Republ. (i) Valerius Max. Lib. II. cap. 6. (k) de Leon. carm. 59.*





ria tanta est, ut si dignis eam præconiis celebrare jubear, conantem debilitaret onus. Ex hac oriebantur tot afflictis rebus generosa ac magnanima pectora, quæ in servitute libertatem, honestatem vitæ in tyrannide ad extremum usque vitæ halitum retinebant constantissimè. Ex hac quoque hic Noster prodierat, fortitudinis plenus pariter ac magnanimitatis, & ut versiculum Mæconii vatis in Latiale eloquium transfundum, erat

*Hosti non tergo, sed forti pectore notus: ablegatus Romanam, adsiduus militiæ Romanæ comes. Sub hujus auspiciis & signis, ita meruit stipendia, ut non modò victrici manus varias reportaret coronas; sed civitatis etiam jure & Equestri dignitate, magnò suorum plausu fuerit coronatus. Inde jam redux offendit cuncta*

*In pejus ruere & retrò sublapsa referri; videt inæstimabilem libertatem, cujus semper fuerat totus, penitus ex oculis, & tantum non ex hominum animis sublatam: deprehendit in montibus, campis, silvis passim per Germaniam volitare Romanos, & ut in pauca rem contraham, divisum cum cælo patriæ habere imperium. Quid hinc animi putatis, AUDITORES, ARMINIO fuisse, quid egisse existimatis fortissimum Heroem? idem profectò quod Cassius, quod Brutus, quod cæteri Cæsaris tempestate viri. Sublimis vox est Catonis in Syllam ad pædagogum: *Cur tu mihi, inquentis, gladium ad liberandam patriam non tradidisti.* Eadem cogitasse Arminium, aut similia existimo, ut quæ ad tam immortalis facinus virum ardentissimum inflammârunt. Forsan placuit illi generosa vox *Alexandri Mæcedonis: Me in perpetuum aut victoria egregia nobilitabit aut pugna.* Interdum altè & masculè patriæ ingemebat servitu-*

ti,



ti, non quod pusillis ac misellis usitatum, cum ululatu & imbecilli plangore, vix enim Viri magnanimi est, profunder e ejusmodi lacrymas, sed, ut heroicum pectus decet, cum justissimo aliquo animi dolore & zelo, quem haud temere cum Catulo (k) fortitudinis cotem dixeris qualis irati Leonis, cum detinetur vinculis. Felices judicabat, qui cum Ariovisto fortiter pugnando occubuerant. Felices Majores suos Cimbro, qui suam & posterorum suorum gloriam nobilissimo purpuraverant sanguine. Horum exemplo suos erigebat, ac rerum præclare gestarum sensum tanquam stimulos ardentes, animis eorum admovebat. Nihil autem magis animo versabat ac illam, quam in lucis & nemoribus sacris hauserat de Animarum immortalitate, sententiam, cuius suavi recordatione indurabat animum & præceptis optimis ad omnes honestæ vitæ partes, disciplinam militarem præ cæteris confirmabat. Et jam posthabitâ omni periculi magnitudine, Varum & iniquos patriæ libertatis possessores ac devastatores DIS Patriæ Conservatoribus consecraverat, ut jam nihil præter internecionis occasionem præstolaretur, ad quam Vari segnitiam callidissimè utebatur: haut imprudenter speculatus, neminem celerius opprimi, quàm qui nihil timet, & præsentaneum esse calamitatis initium, Securitatem. Postquam igitur primùm paucos, mox plures in consilii societatem recepisset, opprimi posse Romanos & dicit, & persuadet decretis facta jungit, tempus insidiarum constituit. Tanta interim erat Vari Securitas (l), ut ne detecto per Segestem, Arminii quidem socerum,

(l) Simile quid Archie, Thebarum Tyranno accidit. Nam super convivium allatam epistolam, que indicium conjurationis haberet, rejecit, cum voce *ἡ ἀπορία τὰ ἀσπίδια*, in crastinum seriat.



cerum, sed patriæ proditorem, foedere cōmoveretur (m). Nimirum miser ille partim dulci fortunā quasi inebriatus, partim magni exercitūs fiduciā subnixus, sed potius quia prævalebant fata consiliis, omnia Cassandræ repudiavit. Fit tunc quod fieri erat decretum, & illucescente præfinito tempore datur signum, classicum canitur, & prælium auspiciatum cædit Germanus, cæditur Romanus, opprimitur exercitus omnium fortissimus, disciplinā, manu experiētiāq; bellorū inter reliquos Romanorū milites princeps. *Varus* perditas res eodem, quo Cannensem diem *Paulus*, & fato est, & animo sequutus (n). O vis virtutis, quid

non

*Sed crastinū non vidit. Nam eā nocte à Pelopide casus est, ut è Plutarchi Pelopide refert Lips. ad Senec. Lib. de Tranquill. Anim. c. 15 Eodem modo Nicephorus Phocas Imperator, uxoris ac Timisce conjuratione perit, quod libellum sibi traditum, in quo conjuratorum nomina scripta erant, & ut sequentem noctem caveret, non legisset, auctoribus Zonarā atque Cedrenō, & ex his narrante Casaubono ad Suet. Cesar. cap. 81. ubi & mox: Geminum istis exemplum in Annalibus nostrorum temporum posteritas leget, ac fatorum vim ineluctabilem etiam in eā cade recognoscet. Res planè, memorabilis, & quæ olim inter δαυμάσιον ἀκρίβεια & providentiæ divinæ argumenta jaçtabitur. Hæc vir incomparabilis, quibus indicat cedem Henrici IV. M. Galliarum Regis. (m) Varo enim per virum ejus gentis fidelem, referente Paterculō Lib. II. Histor. clariq; nominis Segestem indicatum: sed fata jam prævalebāt, omnemque ejus aciem præstrinxerant. Quippe ita se res habet, ut plerumque qui fortunam mutaturus est, consilia corrumpat: efficiatq; quod miserrimum est, ut, quod accidit, id etiam merito accidisse videatur, & casus in culpam transeat. Negat itaq; se credere, spemq; in se benevolentie ex merito estimare profitetur. Ipse Segestes conjurationem narret à se delatam apud Tacit. Lib. I. Ann. (n) Luculentissimè hanc*



non in pectoribus verè generosis efficitur? non hostium  
 multitudine, non periculi magnitudine retineri fortissimi  
 illi animi potuerunt. Hæc est illa victoria Germanorum,  
 hæc est illa strages Romanorum, quam nulla dies, nulla æ-  
 tas, nulla temporum vis delebit. Nam hæc clade factum,  
 ut imperium Romanum, quod in littore Oceani non stete-  
 rat, vix in ripa Rheni fluminis staret, & Augustus magnos  
 ludos Jovi O. M. voveret, *scilicet Rempubl. in meliorum statum  
 vertisset: quod factum CIMBRICO, iterum majestatem hic  
 Germanorum observate, Marsicoq; bello erat.* Adeo namque  
 consternatum ferunt, ut per continuos menses barbâ ca-  
 pilloq; submissô caput interdum foribus illideret, voci-  
 ferans (o): *Quintili, redde legiones, ô Vare Quintili!* Hic mihi  
 inaudire videor non paucos, qui quod Maharbal apud Li-  
 vium Annibali dixit (p): *Non omnia eidem DI dedere: vincere*

D scis

*cladem descripsit Tacit. Lib. I. Ann. Dio Lib. LVI. meminisset-  
 iam hujus ipsius Manilius Lib. I. sub fin. & prodigiorum eam an-  
 tecedentium: Quin & bella canunt ignes subitosq; tumultus,  
 Et clandestinis surgentia fraudibus arma:  
 Extremas modo per gentes ut sædere rupto,  
 Cùm fera ductorem rapuit Germania Varum,  
 Infecitq; trium legionum sanguine compos,  
 Arserunt toto passim minitantia mundo  
 Lumina, & ipsa tulit bellum Natura per ignes,  
 Opposuitq; suas vires, finemq; minata est.*

*Equibus manifesto patet, cùm hæc scriberet Manilius, recentem  
 fuisse memoriam cladis Varianz. Vide ibi Lipsium: & ad Tac.  
 Lib. I. Ann. c. 10. & 60. ubi docet, Teutoburgiensem saltum,  
 in quo clades illa Romanis contigerat, hodieq; nomen suum reti-  
 nere, & victorie cognomine insignem campum Winfeldt ad oppi-  
 dulum Hornam in Westphalia. Factum id A. U. DCC. LXII.  
 post natum mundi Servatorem decimo: à rebus humanis creatis  
 3959. finitô bello Pannonico, quam triumphus jam Tiberio &  
 Germanico decretus esset. (o) Sveton. Augustô cap. 23. (p) lib.*





scis Annibal, sed victoriâ uti nescis: idem Arminio hîc expro-  
brent. Sanè vix mihi temperare possum quin dicam: *Vince-  
re scis Armini, sed victoriâ uti nescis.* Et forsân haut immeritò:  
si enim ita percussæ Italiae Urbique Romæ supervenisset:  
facilè eam occupare potuisset. Sed vereor, ne mihi idem  
respondeatur, quod Annibal Maharbali, ut Romam con-  
festim cum exercitu iret invitanti respondisse fertur: *Ma-  
jorem esse viam quàm ut eam statim animò capere posset.* Longè e-  
nim errant, qui hac clade ita fractas Romanorum vires  
fuisse existimant, ut quas Germanis obiicerent nullæ reli-  
quæ essent: quin immò Tranquillum audiamus, cujus de  
Octavio hæc sunt (q): *Hac clade nunciatâ, excubias per Urbem  
indixit, ne quis tumultus existeret: Præsidibus provinciarum pro-  
rogavit Imperium, ut & à peritis & adsuetis socii continerentur.*  
Et propterea longius erat iter, quàm ut statim Germani a-  
nimo capere possent, uedum corporibus emetiri. Ne igi-  
tur Arminiustanto suo cum periculo, tantâque gloriâ par-  
tam victoriam novâ clade obliteraret, suos quoad potuit,  
continere constituerat, ut eò promptius eorum operâ, ubi  
primùm commodum esset, uti posset. Hæc est strages, AU-  
DITORES, hæc clades, quam patriâ libertate armatus  
Noster hîc edidit, Romanis, referente Suetoniò, *pene exitia-  
bilis duce nempè legatisq; & auxiliis omnibus cæsis.* Cogitare licet  
impræsentiarum variam in omni genere fortunæ vicissitu-  
dinem extollentem, ludentem, ridentem, sævientem,  
Tanta fuerat per omni vitæ tempus Augusti felicitas, ut u-  
niversus propè terrarum Orbis ad pedes ejus provolutus  
Romam videretur adorare: nunquam enim Imperii Rom.  
limites latiùs propagati sunt, quàm imperante Augustiss.  
illo

XXII. (q) *Augustò cap. 23.* (r) *Epist. XLVII. Quidam co-*



illo Monarchá. Quis non credidisset, omnia pœata fore? invenit nihilominus adeoque in ætate decrepitá, qui felicitatem demeteret, ut lætum fortuna exitum fortunatissimo aliàs omnis ævi Principi invidisse videatur. Juvat exclamare cum Romano Sapiente (r): *Varianâ clade quam multos splendidissimè natos, Senatorium per militiam auspicientes gradum, fortuna depressit! alium ex illis pastorem, alium custodem casulæ fecit.* Homines miseri, qui altiùs tolli videntur, ut in exemplum & terrorem decidant altiùs. Et fanè cum exitum quorundam intueor, saginari mihi ut victimæ ad supplicium videntur, ut hostiæ ad pœnam coronari. Non opus per veterum monumenta Græcorum decurrere, audivistis, AUDITORES, quid Varo evenerit, qui post unum consulatum ac tot augustiora dignitatis munia voluntariâ mortè hostium se manibus vinculisque exemit. *Hoc opus, hic labor est:* non enim melior debebat esse exitus hominis, qui superbiâ ac libidine DEO pariter ac hominibus se reddiderat invisum: nec inexplebilis ista auri sitis alio quàm sitientis sanguine poterat exstingui. Verum enim verò, ut venatores, postquam non nihil damni à feris perpeffi sunt, irâ exardescunt, easque quibus possunt modis persequuntur: ita Romani post illatam sibi à Germanis Varianam cladem, qua post Cannensem major fuit nulla, acrius in Germanos insurrexerunt. Contra Germanorum libertas,

D 2

quæ

*dices Marianâ clade. Sed Lipsius ad hunc locum ita: Liqueet mihi legendum, Variana. Nam neque Marius tulit cladem à barbaris, sed dedit. Nec ad ipsos Romanos referre potes, factos ab eo servos: nam addit Senatorium gradum auspiciatos, quod certè Romanorum est; non Germanorum. Cape igitur de Quintilii Vari clade, cum tribus legionibus ab Arminio cæsi; atque in eâ multi honesti aut nobiles facti servi.*



quæ *Arsacis* regno acrior semper fuit, post expulsos Romanos eò fuit ineffabilior, more quem feris consuetum esse scimus, quæ vinculis elapsæ bis majores tanto impetus habent. Postquam enim amissas suas cum *Quinctilio* vires *Augustus* aliquâ ex parte recepit, de novo sollicitavit Germanorum libertatem, mittens illuc *Germanicum*, non tam a-bolendæ ob amissum exercitum infamiæ, quam ut tandem, facta sinerent, de gente liberâ faceret captivam, de ingenua omnibusque molestiis vacua non unis obnoxiam, servitiis. Quid verò Bellator noster? non acrior vindex libertatis (s) fuit quam custos, quam cum *Segestes* & popularium aliquam multi clam & occultè, postea verò cum *Flavio* fratre Romanis militante palàm & armati oppugnant, princeps patriam præ illis eligebat, & hac injuria percitus, ne amore quidem captæ Conjugis movebatur, cujus salutem patriæ longò intervallo postponebat. Eratque illa ipsa, quamvis captiva detineretur, magis mariti, quam parentis *Segestis* animo, neque victa in lacrymas, neque voce supplex, compressis, quod *Tacitus* commemorat, intra sinum manibus, gravidum uterum (t) intuens. Tantas scil. in utriusque animo radices libertatis cura egerat. Post hæc aliquoties inanibus tentamentis concurritur, cum jam *Germanicus*, aliàs *Arminius* evaderet superior. Tum demum ad

Visur-

(s) *Brutus* in *Epist.* quâdam ad *Ciceronem*: Nihil tanti fuit, quo venderemus fidem nostram, & libertatem. Colloquium *Arminii* cum *Flavio* fratre, quem fidum Romanis, sed patriæ infidum vid. apud *Tacit.* Lib. II. Ann. c. 10. Nimirum nihil turpius, nihil probrosius veteres ducebant servitute. *Cicero* *Phil.* II. Servitutem postremum malorum omnium vocat, non modo bello, sed morte etiam repellendam. Similiter servitus morte gravior eidem dicitur, Lib. II. ad *Attic.* epist. 18. (t) Lib. I. Ann. c. 5.



Visurgim, acies instruitur, ubi feralis propè Germanis *campus Idistavisus* bis (u) tentatur. Deserit fortuna *Arminum* non virtus, non animus, quo uno tum, victus corpore ac profligatus, nulli adhuc cedebat. Unum nocuit Romanis, quod victoriam obtinere quàm profèqui mallent. Talis erat animus *nostri Arminii* post adoptatam jam patriæ libertatem, cujus ita erat tenax, ut prius è corpore animam, quàm ex hac virtutis & fortitudinis stimulos evulvisses: quos postquam cùm lacte materno imbiberat, ita retinebat & conservabat in omni vitæ cursu, ut nullis vel insidiis territus, vel mutatus minis, vel Romanorum viribus fractus quicquam remitteret; sed adversum fortunæ blandimenta semper major & excelsior tanquam inconcussa rupes ventorum ictus, gravissimas procellas rideret, contemneret, superaret. Inscriserat animo penitissimo scitum illud Socraticum, ut *statua semper insistit basi; similiter Virum strenuum & cordatum institutò niti generosò, nec inde vel periculis, vel voluptatibus dimoveri (x) unquam.* Noverit ex Philosophorum Græ-

§ 7. *Filium ex ea suscepisse, dicit auctor mox postea: Arminii uxor, virilis sexus stirpem edidit. Educatus Ravennæ puer, quo mox ludibrio conflictatus sit, in tempore memorabo. Nomen ejus ostendit Strabo Lib. VII. inter captivos Germanorum duces, quos Germanicus Romæ in triumpho duxit. Sigismundus, Segestris filius, Cheruscorum dux, & Soror ejus, eademque uxor Arminii, nomine Thusnelda, & filius tres annos natus Thumelicus. (u) Lib. II. Ann. c. 16. seqq. Hæc duo prælia commissa sunt inter oppida Minden & Oldenburg/ circa arcem Eißburg / quam, unà cum vico adjacente, veteris IDISTAVISI CAMPI nominis vestigia referre existimat Cluver. Germ. Antiq. Lib. II. cap. 1x. (x) Possèm & comparare cum Amiantho lapide, qui semper in igne pervicax & constans. Unde M. Columna, Cesaris in Veronâ Præfectus, Anno 1516. nu-*





Græcorum summo (y): Heros, bellicam mortem speciale fortitudinis esse objectum. Imitatus in hoc prudentissimos Majores: Ipsum posteri sunt imitati. Semper pulchrum habitum pro Patriâ, pro Libertate, pro gloriâ & utilitate publicâ in armis mori. Hæc alta indoles & ingenium servitutis impatiens perpetuò fuit Bellatori nostro, ut mallet vitam quàm patriæ libertatem periclitari. *O Constantiam incredibilem!* Nimirum intelligebat animus ille ineffabili propè virtute, melius esse nunquam incipere, quam ubi pergendum erat desinere, & coronam non nisi ad finem certanti dari. Verùm de admirandâ Ducis Arminii fortitudine & bellicositate, sat, puto, mihi dictum est. Quæ sequuntur an iram potius, AUDITORES, an commiserationem suscitabunt? Sequutum est, quod habet Auctor noster, ex cuius verbis miserandam Principis nostri castatrophem, AUDITORES, cōsiderate. Ita verò ille: *Armini⁹, horresco referens, abscedentibus Romanis, & pulso Maroboduo, regnum adfectans, libertatem popularium adversam habuit: petitusq; armis, cum variâ fortunâ certaret, dolo propinquorū cecidit.* (z) Discam⁹

hoc  
mum percussit; in cuius alterâ parte talaris tunica inter ignes illæsa permanet; quia scil. ex Amiantho lapide conflata est: quo Columna, contra omnes hostium conatus semper constantem mansurum se ostendit; ut explicat Luckius. Ejusmodi constantiam Arminius exercuit. (y) lib. III. ad Nicom. cap. 9. (z) Factum id annò principatus Tiberii VI. quo eodem Arminius; rebus maximis per aliquot annos gestis dolo tandem propinquorum cecidit; florentissimi Imperii haut dubiè Cesarisq; invictissimi terror. Varum cum tribus Legionibus Romanis fudit juvenili præsens ætate; anno nempe ætatis XXVI. Maroboduum annò XXXV. ut colligit Lipsius ad Lib. II. Ann. Tacit. c. 45. Elogium ejus videatur apud Tacit. Lib. II. Ann. cap. 88. Fratrem ejus uxoremq; ac filium & sanguine proximè junctos, quorum auctores meminerunt propo-



hoc exemplo nihil apud Germanos quondam Libertatis nomine acrius fuisse. Inde si quis Princeps nimia nobilitate aut virtute insolesceret, si civitatis insidiaretur libertati, si ad infinitum absolutumque adspiraret regnum, statim ab acerrima illa gentis libertate opprimebatur. Stabat enim continuo Vir rigidus, impavidus, fremebundus ac terribilis, qualem Martem suum Romulei nepotes describere, nil præter gladium manu versari doctus, qui potestate totius populi & sacra armatus libertate *Arminio* alicui, Romanorum adhuc sanguine stillanti, faceret bellum, & si res posceret, sicam intentaret, ingratus in hunc, si videtur, publice non parum salutaris (a). Sic *Maroboduus*, qui quidem primus post *Ariovistum*, *cis Codanum sinum*, certum Imperium vimque regiam sibi acquisiverat, cum in tyrannidem postmodum dilaberetur, invisus popularibus duce tandem *Catualda* regno pulsus est (b). Sic item *Catualda* (c), sic *Vannius* (d), sic *Italus* (e), cum partim simile regnum quærerent, partim jam acquisitam diuturnitate in superbiam mutarent, exilium invenerunt. Ecce propinquorum dolo cadit *Arminius*, qui paullo antè a nefando patriam servitutis iugo liberaverat. Cadit Inclitus Heros, quo majorem ne Romana quidem res cum in summo esset fastigio constituta, habuit, & qui armis Romanorum non poterat, simultate ac discordiis suorum involutus, quia regnum adfectabat, tollitur. Scilicet hæc omnia propter libertatem, & hujus

caus-  
 fuit nominatissimus Geographus *Cluverius Germ. Antiq. lib. III. cap. 19. Satis accurate. Pluria de Arminio, qui volet, consulat Parentem b. m. in peculiari tract. cujus tit. Des theuern Fürsten und Beschirmers teutscher Freyheit ARMINII glorwürdige Thaten. (a) Tacit. Lib. II. Ann. c. 88. (b) Ibid. c. 44. & 62. (c) Ibid. c. 63. (d) Lib. XII. Ann. c. 29. & 30. (e) Lib. XI. c. 17.*



causâ unicè suscipiebant. Hæc ipsa erat, qua munitus olim Germanus quinque Consulareis exercitus Populo Romano abstulit, Consulibus fuis vel captis: quam nec impunè C. Marius in Jaliâ, Julius Cæsar in Galliâ, Drusus ac Nero & Germanicus in suis sedibus perculerunt (f). Hæc ipsa erat, quæ C. Caligulæ minas in ludibrium vertit (g), & paulò post tota Batavorum insula Romanum nomen ejecit. Et certè nulla gens unquam tenaciùs coluit libertatem, nulla toties pro hac adserendâ cum Romanis confligit, tot, bella sustinuit, tot clades aut accepit aut intulit, toties servitutem repulit, jugum excussit, & se in pristinam libertatem restituit, caput suum devovit, ut etiam ipsorum fœminæ inclinanti<sup>9</sup> & labantibus aliquando aciebus flentes, maritos ad fortiter pugnandum, precum constantiâ, liberorum ostensione, pectorum objectu, & monstratâ cominus captivitate urgerent, ne se & suos in servitutem redigerent; sed potiùs unâ interirent omnes, aut pristinam libertatem adsererent. Inde factum, ut nec Cæsar's arma, nec Augusti vires universam Germaniam subigere, ac penitùs in provinciam redigere, adeoque Romano Imperio subiicere potuerint (h). Post mortem Arminii Germanorû libertas iterùm cœpit languescere: redierant enim avidissimi illi provinciarum accipitres Romani, & plerasque Albim intes Rhenumque nationes nullâ vi devicerant. A-

ctum

(f) de morib. German. cap. XXXVII. (g) ibid. & lib. IV. Hist. Fugacissimus Imp. de Germanis triumphavit, cum tamen in Germania nihil strenuè egisset, ut Persius Sat. VI. meminit. & Suetonius in ejus vitâ indicat. (h) Inferioris ævi Impp. licet nullâ unquam de Germanis amplius victoriam reportâssent, tamen Germanici nomen adsciscebant; ut olim Africani, Asiatici, Macedonici, à devictis illis gentibus, & terris in potestatem Romanorum redactis



ctum & conclamatum erat, nisi *inclitum Francorum nomen*,  
 tum quidē, non in terris natum; sed cœlo quasi demissum,  
 & patriam & libertatem vindicasset. Nam cū prædicti il-  
 li populi intelligerent, nullā aliā re magis quondam liber-  
 tatem suam à Romanis infractam suppressamque fuisse,  
 quàm quòd singulos illi seorsim aggressi fuissent, dum ipsi  
 in unum consulere, communemque hostem communibus  
 inter se junctisq; copiis propulsare neglexissent; tandem,  
 plurimis experimentis edocti, innumerisque damnis ad-  
 moniti, factā conspiratione, in unam societatem atque ex-  
 ercitus coivère, novo sibi, haut dubiè è libertatis argu-  
 mento, invento vocabulo, quo universi imposteriorum adpel-  
 larentur in communi *thi Franckon*. Quo etiamnum reliquiæ  
 eorum circa Mœnum, variante paulum dialecto dicuntur  
*die Francken*: item *Franci Liberi*, *die freye Francken* (i). Fa-  
 ctum id annò post natum cœli terrarumq; Dominum præ-  
 ter propter ducentesimo. Posthac Majores nostri non mo-  
 dò ut liberi essent sed etiam ut imperarent, arma ceperunt,  
 tantasq; res gesserunt, ut in illis recensendis, si ante lucem  
 narrationis iter acciperem, prius res esset, ut quidam ait,  
 noctium, quàm ad finem pervenirem. Verùm licentiùs

E

quàm

*cognominabantur. Que quidem res Theudobertum, Francorum  
 Regem, adeò in Romanos inflammavit, ut nisi morte interceptus  
 fuisset, exitiabile bellum eà de causâ ipsis intulisset. Neque  
 enim, ut scribit Agathias Lib. I. tolerandum censebat, quod Im-  
 perator Justinianus in Edictis Imperatoris Francici & Aleman-  
 nici, aliosque hujusmodi titulos sibi vendicaret, perinde ac si o-  
 mnes hasce gentes subjugasset, vid. Lans. orat. pro Germ. p. m. 123.  
 (i) Non ab eo, quod posterioribus temporibus Franci ad Mœnum  
 majoribus usi sint in Germanorum imperio immunitatibus, quæ  
 reliqua imperii nationes, ut vulgò existimatur; sed à veteris illius*



quàm voluisssem evagatus sum. Dabitur hoc antiquitati, dabitur amanti patriæ, AUDITORES, dabitur nobilissimo Francorum nomini, & æternitati mecum consecrabitur studiosissimæ libertatis memoriam gentis. Talis igitur, AUDITORES, antequam exterorum imbueretur moribus, vera & sincera Germanorum virtus fuit. Veniebat enim horridus ille è silvis miles, nullis vel divitiarum blandimentis fractus, vel emasculatus deliciis, adversus quas, quamvis rudes, quamvis barbari, quamvis feroces passim apud Romanos audiant; mirum tamen dictum est, quàm fuerint prudentes & obfirmati. Quæ quidem in re prædecessores habuerunt, Græcos, Romanos, alios. *Lacedæmonios* nullâ aliâ re nisi insatiabili opum cupidine interituros Pythius Apollo Oraculo ediderat; nec frustra, ut infelix postea *Sparta* suo vidit damno. Et quanta, dum divitiis nimis capiuntur *Athenienses*, florentissimæ ruina Reipubl. evasit, *Rem Romanam* & amplam & claram olim, si quam aliam, fuisse sæpius non absq; insigni animi delectatione legistis. Quando verò eam de antiquo nitore remisisse existimabitis? an cum *Moribus antiquis* floreret *Roma* virisque? quum in pretio esset vera probitas, & nuda virtus coleretur? an cum Alpibus & mari suo inclusus invictus Romanorum Populus aurum & argentum non haberet? an cum in agro cultus qui in urbe? cum in *Curii dictatoris*, Viri antiquâ simplicitate & Romanâ generositate digni, quam supra potentiam non erat major, villâ ac domo nihil splendidum, nihil magnificum esset præter ipsum? cum rapa sua belli-

cosiffi-  
in libertatem à Romano iugo vindicationis memoria, quum in universa hodiè Germania nemo tam infans, nemo tam rusticus inveniatur homo, qui ignoret, Franci idem significare quod Freil sive Freyl i.e. liberum. De his fusius vid. differentem prædictum



colissimo Heroi sufficerent, aurum non placeret(k).<sup>2</sup> profecto, AUDITORES, liceat animi dicere sententiam, Nunquam floridiorem Romam fuisse. Tunc Romana Respubl. defecit, & Aeterna urbs (l), cujus libertas aliquot jam seculis sua paupertate tuta steterat, ad abjectum servitutis ju-

E 2

gum

Cluver. Germ. Antiq. Lib. III, cap. 20. (k) Ad hanc etatem Cicero & Polybius respexisse videntur, cum uno verbo, optimam, Remp. Romanam tradiderunt. Quo tempore nulla nobilium dissensio, nulliq; exinde consecuti motus; summa contra honorum ac rerum omnium inter eos communitio fuit: nullum in privata re cumulanda atque augenda; contra omne omnium in amplificando ac propagando studium est collocatum. Nunquam etiam pluria atque ad omnem posteritatis famam illustriora abstinentia, modestia, justitia fortitudinis, civilis denique concordie exempla edita sunt. Tum enim Fabricii, tum Metelli viguerunt: tum Fabii, Marcelli, Scipiones, Pauli, Lepidi, magna illa Lumina ac Columna, floruerunt, quorum cum eximiam in bello animi magnitudinem ac prudentiam, tum incredibilem in pace justitiam ac moderationem merito admiremur & coleremus. (l) Ita vocatur ap. Symmach. III. ep. 55. IX. 129. Ammian. XIV, p. 11. XV, p. 5. & in seqq. Libb. passim, quibus adde C. de Privileg. Corporat. Urbis Romae: Lindenbr. ad Ammian. p. 12. qui ita commentatur ad verba: Urbem aeternam: sic quidem locis innumeris adpellatur, non solum ab Ammiano, sed ipsis etiam Imp. ut ex illorum Constitut. patescit. In numismatibus quoque vetustis videtur Roma insidens scuto, victoriam Dextra, sinistra scipionem gerens cum tali lemmate: ROM. A. AETERN. A. Hec si de materialibus, h. e. edificiis & mœnibus Urbis Rom. capimus, vana sunt, & falsa. Nam superba illa Roma, quae urbs aeterna audiebat, quae victura cum seculis bustum non semel facta, ita perijt, ut de fide magnitudinis posteritati laborandum sit. Sed cum veteres adflaverit fama prophetiae Daniel. qui VII. cap. scripserat: Quartam bestiam dominaturam, donec antiquus dierum sedeat ad judicandum; idq; de extremo judicio interpretarentur, creditum etiam ROMAM



gum sensim inclinavit, cum devictò totò propè Orbe cunctæ Orientis & Occidentis Africæque opes & cum his luxuria simul Romam confluxissent, & jam suus esset opibus honos. Cùm gentis suæ ditissimus M. Crassus negaret, ullam satis magnam pecuniam esse ei, qui in Republ. Princeps esse vellet, qui suis sumtibus exercitum alere non posset. Nulla enim gens, judicium audite Viri alicujus magni, nulla propè pars terrarum expugnata fuit à Romanis, aut subacta, quæ non ad perniciem victoris & interitum Romanæ majestatis aut sinceritatis aliquid contulerit: Omnes quidem maximas opes & affluentiam, sed cum iis avaritiam ac luxuriam attulere: unde quid aliud, præter omnis generis probra ac scelera, enasci potuerint, quam *Cinnæ, Syllæ, Marii, Pompeji, Cæsaris*, aliorum immoderati & immites dominatus, quibus haud scio, an quicquam perturbatius, & inordinatius admissum sit ab incubulis, & primâ fundatione florentis hujus civitatis: accedebat ipsum denique absolutum *Augusti* (m) imperium, quo omnis Populus Romanus in postremam servitutem, redactus est, quem paullò post sub *Tiberii, Neronis*, monstrorum dicam, an Principum, imperio subiit. At longè cautiùs quondam vivebatur inter Germanos, teste *Arte & Marte*

ÆTERNAM fore. (m) Est hic ille *Augustus Imp.* sub quo Legem, ut vocant, Regiam, qua omnis & summa rerum potestas uni Imperatori à *S. P. Q. R.* confertur, primùm latam esse multi affirmant: quo de quid sentiendum, vid. celeberrimum *Chronologũ Helvicum Theatr. Chronol.* qui ejus promulgationem statuit in annum *U. C. CCCXXX.* quo *Tribunitiam potestatem Augustus accepisse tradunt Bucholzerus indice Chronol. & alii: quamvis annum sequentem numeret Sigonius Comm. in fast. Rom. Fustius de hoc differentem vid. Jctum. consummatissimum Carptovium peculiari Comment. ad Leg. Regiam. (n) Lib. de Bell. Gall.*



Marte clarissimò quartæ Monarchiæ Auspice, Iuliô. Nullus, in-  
 quiente (n), ad eos mercatoribus erat aditus, neque quicquam pa-  
 terentur vini aliarumve rerum ad luxum pertinentium inferri :  
 quòd his rebus elanguescere animos, eorumq; remitti virtutem, pru-  
 dentissimè, in summâ licet barbarie, ut exteris videbatur,  
 existimarent. Atque tunc quidem suus libertati erat vigor, quan-  
 do nullus certum agri modum aut fines habebant proprios ; sed  
 magistratus, ac principes singulos in annos gentibus cognati-  
 onibusq; hominum, qui unâ coierant, quantum illis, & quo loco  
 visum erat, atque anno post transire cogebant (o). Cujus qui-  
 dem rei Majores nostri causam habuerunt multam, puta,  
 ne adsiduâ consuetudine capti, studium gerendi belli agriculturâ  
 commutarent : ne latos fines parare studerent, potentioresq; humilio-  
 res expellerent possessionibus, ne accuratius ad frigora atque æstus  
 vitandos ædificarent : & quòd summa rei est, ne qua oriretur pe-  
 cunie cupiditas (p), quâ ex re factiones dissensionesq; nascuntur : at-  
 que animi æquitate vulgus contineretur, cum suas quisque opes cum  
 potentissimis æquari videret (q). En! vobis artem, **AUDITO-  
 RES,**

cap. 1. & 4. (o) Edificiorum enim negligentiores erant, ut te-  
 statur Tac. de Morib. Germ. cap. 16. sed studuerunt Carolus M.  
 Henricus Auceps, Ottones & alii, ut Germaniam è cespitibus  
 vetustis in dignum Imperio splendorem erigerent : quæ nunc testi-  
 bus etiam exteris Sylv. in epist. ad Mejer. Bod. lib. V. de Republ.  
 Ceteras ferè omnes gentes urbium magnitudine, multitudinè &  
 elegantia superat. (p) Ab avaritia & cupidine nummorum, quæ  
 vix quicquam inhonestius, vix rebus & privatis & publicis perni-  
 ciosius, longè aberant. Aurum, argentum, & reliquam illam sum-  
 mi materiem mali, ut ait Poëta, valdè spernebant : quæ magni al-  
 tiq; animi nota : ut contra humilis, abjecti, sordidi, amare, com-  
 plecti, & tanquam rem sacram venerari illas sordes. (q) Hæra-  
 tiones omnes ita graves atque ex ipsa sapientum disciplina de-



RES, modumque, quo Germani bonos mores, & cum bonis moribus libertatem, tot seculis sartam-tectam custodiverunt. Vultis ostendam, quibus telis potentissimum illud vastissimumque Romanorum Imperium expugnauerint: Unô, quod dici solet, verbô habetis: *Germanorum scil. paupertate, & inertî Romanorum luxu factum est*, ut summi nomen, Imperii Aquilamque una sibi Germania nunc habeat, & jam sola sit, in qua nomen atque reliquæ fortunæ Romanæ requiescant (r). Hoc quippe Romani mollissimi, ignavissimi que redditi: illa Germanis libertatem perpetuô intactam custodivit, gloriæque cupiditatem subinde suggestit, donec tandem & ipsi in illorum provincias, Galliam, Hispaniam, Italiam, Britanniam, Africam transgressi, iisdem vitiis corrupti sunt. Addam, quod hæc omnia aut vincit aut amplificat: Amorem quemque libertatis & patriæ, summi que inter eos boni studium, sine stipendîo ad arma concitasse. Nondum enim receptum erat, AUDITORES, ut Germanus miles corpus animamque drachmis aliquot venalem circumferret, quâ quidem in re hodiè ad insaniam usque profecimus: sed quô major in uno quoque erat libertatis amor, eò acrius pro hac, pro patriâ in hostes ferebatur: *turpe erat principi, ut refert Tacitus (s),*

*vir-*  
*promte videri possunt, ut vel sola, barbaros non fuisse veteres Germanos evincant. (r) Postquam Suevi, Gothi, Vandali, Franci, Saxones, Longobardi, Normanni & alii nostrates iter in Capitolium & ad Aquilas Roman. perpetuis militiæ laboribus stravissent, imperio ipso in factiones diverso tandem istud virtute Caroli M. cum Republ. Germanorum unitum est, in illudq. Imperii Romano-Germanici corpus, tot secula laudatissime perdurans coaluit, ut nullum robustius aut sit aut olim fuisse homines meminerint. vid. Thuan. hist. 4. Lansf. in Orat. pro Germ. (s) de morib. Germ. c. 14.*



virtute vinci, turpe comitatu, virtutem principis non adaequare: singulis verò infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. Nec aliud præter nominis celebritatem restabat præmium, nisi quod prædæ divisio pro laborum, periculorumque stipendio militi cedebat: pigrum quippe omnibus pariter, ac iners videbatur, sudore acquirere, quod sanguine possent parare. Sed nostrum non est in Majoribus nimis gloriari: Majores enim nostros virtute adæquamus, & generosi, nunquam degeneres, posteris, novâ gloria partem ab illis gloriam augemus. Ad finem propero. Talis quoque animus hoc ævo nostris Germaniæ Ducibus & militibus nunquam defuit. Cum enim nullam gentem se majorem existiment, nullam etiam tanti esse putant, ut illius causâ ab ingenio recedant, nullam tam magnam esse judicant, cujus causâ simulandum aut dissimulandum existiment. Non enim ita timidi sunt, ut nec clamorem primâ in acie, nec tympanorum sonitum audire possint; sed naturâ fortes omnes ac animosi, quos nec molliant voluptates, nec pericula deterreant unquam. Regni defendi non propugnaculis; sed brachiis, non muris; sed animis, non copiis; sed egregiâ civium virtute conservari ut Spartani quondam arbitrantur (t). Non opus est longò exemplorum adductu. Existat hîc è Domo Brandeburgicâ **ALBERTUS** ille Achilles Germanicus (u), existat, & Græcos antevertat:

(t) Exemplo fuit paucis abhinc annis Turcus, quem numero innumero maximam partem Germanus miles ope divinâ vicerat ita, ut confestim pacem ille posceret. (u) De actis & factis hujus Principis vid. integr. Dissert. Jenz habit. cujus inscriptio: Achilles Germanicus, sive Elector Brandenburg. delineatus sub presid.



tat: antevertit. Exsistat è Palatinâ, *FRIDERICUS* ille vi-  
 storiosus, exsistat & Romanos præveniat: prævenit. Exsistat  
 è Saxonica *ALBERTUS Rolandus*, *Dextra Imperii Rom.* vo-  
 catus, exsistat, & præ Hispanis lauream accipiat: accepit.  
 Immò qualis exstitit *invictum illud belli fulmen*, *MAURITI-*  
*US NASSOVIVS*, de cujus operibus nihil reverentiùs effa-  
 ri possum, quàm quod olim de Carthagine pronuntiavit  
 Sallusti<sup>9</sup>, tacere satius est quàm pauca dicere. Et certè in il-  
 lo fuit quicquid laudatum in Ducibus præclaris à Plutarcho  
 Xenophonte, Curtio, Livio, quicquid commendatum à  
 Suetonio, Seneca, Tacito, Cicerone, quicquid damnatum  
 in singulis, ei defuit. Non hîc testem adpello Rhenum tot  
 urbibus frenatum: testes sunt Zutphania, Groninga, Ger-  
 trudeberga. Non decurro ad conflictum Cnozenbur-  
 gum, Ducibus Hispanis partim cæsis, partim captis. Insi-  
 gnis fuit ubi *Mauritius* brevi temporis spacio novem oppi-  
 da, arces sive Comitatus tres ac totidem Dynastias Ordi-  
 num Imperio adjecit (x). Quibus rebus multorum Prin-  
 cipum in se ora convertit. Possem AUDITORES, si tem-  
 pus permetteret, alios producere: producerem *Georgium*  
*Fronspergium*, Equitem Auratum Germanum, quem quin-  
 decies justo prælio, extraordinariâ verò acie plus vices  
 admirabili fortitudine dimicâsse ferunt. Sisterem vobis  
*Lazarum Suendum*, Baronem Altæ Ladisbergæ, qui nomini  
 suo bellorum contra Turcos gestorum gloriâ, celeritate,  
 consiliô & felicitate singulari memoriam immortalem ad  
 omnem posteritatem comparavit, perq; Laboris templum  
 progressus, trophæa perennaturæ gloriæ in Honoris fano  
 felici-

*Excellentissimi Gæzii Moral, P.P. (x) Adde, si lubet, D. Hein-*  
*si orat. in ejus obitum.*



feliciter ad Memoriam aram suspendit. Quid verò tandem de Serenissimis & Generosissimis nostris SAXONIBUS? quid dicam mei AUDITORES? Homere viveres! haberes novos Achilles, novos Ulysses. Quos certè, etsi solos in theatrum Virtutum Germanicarum producerem, adhuc tamen priscorum Germanorum fortitudinem satis ostenderem. Quippe ea à Laudatissimis Principibus gestorum magnitudo, illa copia est, ut quid primò, quid novissimè, quid inter hæc memorem dubius agar. Tutius hinc fuerit, si honore silentii supprimam, quod voce & stilo resignare non audeo, ad exemplum sagacis pictoris Timantis, qui cum artificio excelleret, ingenio tamen magis abundabat: is velò obumbrasse dicitur, quod penicillò exæquare desperabat: sic ego eximias MAGNORUM SAXONUM dotes omni voce, omni laude nostrâ sublimiores, religioso silentio venerabor: hoc tamen adjuncto voto: HEROUM MAXIMI, DEUS VOS CONSERVET. *Salute enim & incolumitate Vestrà, Salus & incolumitas totius Imperii, publica seculi felicitas & bonorum omniùm vota abundè continentur.*

Hæc sunt AUDITORES omnium dignitatum Eminentissimi, quæ pro aureâ Majorum nostrorum Libertate & Bellicositate hoc in loco constitueram; citius quidem fixissem gradum, sed ut nauclerum, firmatis ancoris, ventorū illudit rabies, Et quas nolebat cogit inire vias: ita me abripuit calamus, & ne quicquam reluctantem coëgit sequi: parvi necessitati, ignoscetis spero. Concludo igitur & ad sententiam demum verba me contrahendo sic cum Historicorum summo censeo: *ARSACIS REGNO QVONDAM ACRIOREM GERMANORUM LIBERTATEM FUISSE.*

D I X I


T A C I



790.  
710  
1444

TACITUS in de Morib. Germ. cap. XXXVII:

SEXCENTESIMUM & QUADRAGESIMUM annum Urbs nostra agebat, cum primùm Cimbrorum audita sunt arma; Cæcilio Metello ac Papi-  
rio Carbone COSS. Ex quo si ad alterum imperatoris Trajani con-  
sulatum computemus, ducenti fermè & decem anni colliguntur: tam-  
diu Germania vincitur. Medio tam longi ævi spatio, multa in vi-  
cem damna: non Samnis, non Pæni, non Hispaniæ, Galliæve, ne  
Parthi quidem sæpius arma admo-vere. Quippe regno Arsacis acri-  
or est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quàm cædem  
Crasæ, amisso & ipse Pacoro, infra Ventidium dejectus Oriens obje-  
cerit? At Germani, Carbone & Cassio, & Scauro Aurelio, & Ser-  
vilio Cepione, M. quoque Manlio, fufis vel captis, quinque simul  
consulareis exercitus Populo Romano; Varum, tresq; cum eo legio-  
nes etiam Cæsari abstulerunt. Nec impunè C. Marius in Italiâ, Di-  
vus Iulius in Galliâ, Drusus ac Nero & Germanicus, in suis eos se-  
dibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsaris minæ in ludibrium ver-  
sæ. Inde otium, donec occasione discordiæ nostræ & civilium armo-  
rum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectare:  
ac rursus pulsî inde, proximis temporibus triumphati magis quàm  
victi sunt.



1077  
M



756-

FR

SAX  
D

PA

PE



LSISSIMO Q.  
PI.

MINO.

VILIELMO.

TERTIO.

ET. MONTANIAE.

URINGIAE. COMITI.

CIPI. COMITI.

MARCANO. ET.

NASTAE.

CLEMENTI.

IM. NATO.

GERMANUM.

D. . . . .

DOMUSQ. EIUS.

US.

Hagelgans /



por  
stim  
vero  
min  
qua  
tit.  
qui  
nefic  
adpe  
praes  
mus  
per  
la co  
um  
fic  
Qu  
cen  
tan  
tiam

